

1. de Arbitrio. A. J. R. Hammer, R. J. Gumpelzheimer.
2. de bone merito. A. P. Müller, R. J. Schafaeq.
3. de Quarta Trobellianica. C. G. Berger.
4. de Demonstratione, ⁱⁿ ~~der~~ ^{der} ~~Gründung~~ ^{Gründung}. F. Müller
A. F. Philippi. R. J. Schumann.

119
XIX.

Q. D. B. V.
DISSERTATIO JURIDICA,
De,
MERO IMPERIO,

Quam
AUXILIANTE NUMINE DIVINO
Consensu
Illustris Jctorum Ordinis

in
Celeberrimâ Salanâ
P R Æ S I D E
DN. JOHANNÉ BERNHARDO

SSSSSS /
Phil. & J. U. D. ac Illustris Regiminis
Saxo-Jenensis Advocato Ordinario,

Patrono, Praeceptore ac Hospite suo
omnem vitam colendo,
publico Eruditorum Examini
submittit

JOHANNES Döeffler /

Jesniz. Anhalt.
AUTOR ET RESPONDENS,
ad diem Maji,
ANNO M. DC. LXXIX.

JENÆ, Literis WERTHERIANIS.



111

DISERTATIO JURIDICA
 MERO IMPERIO
 MARIANO
 GOTTFRIDUS
 HUBERUS
 DE
 DIGNITATE REIPUBLICAE
 LIBERAE
 IN
 REIPUBLICA
 ROMANA
 AUCTORITATE
 JOHANNIS
 HUBERUS
 AUCTORITATE
 JOHANNIS
 HUBERUS





f. f.

De
MERO IMPERIO.

Thef. I.

Jurisdictio generaliter accepta, si cum *Schnobelio Diss. Pand. 2. thes. 2.* definiatur publica juris de quavis causâ dicendi vel reddendi potestas, species duas, jurisdictionem in specie dictam & Imperium, non complectitur. Natura enim generis adæquata speciebus communicatur, quod sine læsione veritatis dici hic non potest; Neque enim Jurisdictio in specie, neque Imperium est potestas cognoscendi de quavis causâ. Quare retentâ descriptione illâ rectius Jurisdictio in specie, & Imperium partes sunt Jurisdictionis, tanquam totius. Si verò dicatur Jurisdictio de causis emergentibus juris reddendi potestas, abstrahatque à causis tam civilibus, quam criminalibus, speciem quandam sibi cognominem & Imperium comprehendit. *arg. l. 2. §. 23. ff. d. O. J. l. 3. ff. de Jurisd.* Quæ de causis criminalibus conceditur potestas, Merum Imperium appellatur, cujus brevem delineationem publici juris facere, tum ob ejus dignitatem, tum utilitatem, constitui.

Thef. II.

Imperium itaque, quod jurisdictioni in specie ita dictæ non cohæret, neque eidem intervit, dicitur merum,

A

rum,

rum, & absolutè potestas *l. 3. ff. de Jurisd.* Unde verò mè-
rum dicatur, variæ sententiæ reddunt ambiguum. Pro-
babile est, ita dici, quia purum & per se solum est, alterius
rei mixturam non habens. Cùm enim Imperio, quod
mixtum appellatur, eò quòd jurisdictioni cohæreat, op-
ponatur, meri nomen ei impositum est. Merum nam-
que ei propriè tribuitur, quod purum est; Sic vinum a-
quâ non dilutum merum est; Et merum Jus Gentium,
quod non est mixtum cum præceptis Civilibus *l. bona 31.*
pr. ff. de pos. ita merum Prætoris officium *l. 5. pr. ff. de V. O.*
Merum factum *l. 98. §. 6. ff. de solur.*

Thef. III.

Merum Imperium describit *Ulpianus l. 3. ff. d. Jurisd.*
quòd sit habere gladii potestatem animadvertendi in fa-
cinorosos. Hanc descriptionem à parte potiori desump-
tam quidam defendunt ad eò, ut perfectior evadat, si ei
addatur *vel alterius cujusque gravioris coërcitionis l. 70. ff.*
d. R. J. l. 6. pr. ff. d. Offic. procons. Quidam eam perfectam
dici non posse judicant, quòd Merum Imperium etiam
aliâ, quàm gladii coërcitione, vim suam exerceat *l. 6. pr.*
l. 11. ff. de offic. procons. l. 6. §. 8. ff. de offic. presid. l. 28. ff. de
pæn. Alii non tam definitionem tradi, quàm ejus exem-
plum dari arbitrantur. Quoniam verò sub gladio aliæ
etiam pœnæ capitales & gravior coërcitio contineantur
l. 11. ff. de offic. procons. id eò perfectioni illius descriptio-
nis nihil omninò deest. Hinc sponte fluit, non solum
exemplum tradi, sed ipsam quoque essentiam ibi propo-
ni. Neque Definitio id eò imperfecta dicenda, si per gla-
dii potestatem intelligeremus solam animadversionem,
quæ gladio inferitur; Sufficit enim per hoc rectè Merum
Imperium expositum esse atque ab aliis distinctum. O-
mnia enim, quæ in alicujus essentiâ reperiuntur, specia-
tim

tim exprimere non usque adeò necessarium esse opinor. Quæ cum ita se habeant, allatam definitionem paulò fufius explicare animus est. Dicitur (1.) quod sit potestas sive jus. Hinc falluntur, qui ideò suspectam definitionem habent, quòd non tam definiatur Imperium per verba juris, quàm facti. Neque illi rectè sentiunt, qui, definitionem non tam substantiam respicere, quam effectum, constanter asseverant. Nunquam etenim effectus definitionem ingreditur primariò & tanquam aliquod constitutivum, sed saltim ut potestas exinde arguatur. Dicitur (2.) Gladii, quæ vox jam tum exposita est. Dicitur (3.) animadvertendi in facinorosos, ut vehementia hujus Imperii significetur, & à modicà coërcitione, scilicet remediis prætorii, secernatur. Et quidem animadversio hæc in Mero Imperio principaliter & directò venit, in mixto autem per accidens & propter aliud vid. *Sus-holt. d. jurisd. tbes. 394.* Non tamen illa verba animadvertendi in facinorosos exclusivè sunt posita, quasi cognitio causarum Criminalium sit ab animadversione separanda. Contrarium namque satis liquidò constat ex *l. 6. princ. ff. d. Offic. Procons.* ubi Ulpianus ait, custodiarum audiendarum mandatum esse extraordinarium, ob rationem adjunctam, quòd non possit quis gladii potestatem sibi datam, vel alterius coërcitionis, ad alium transferre; Quæ ratio nihil concluderet, si cognitio causarum criminalium ad Merum Imperium non esset referenda. Quod verò hæc lege extraordinarium dicitur, alibi postmodum legatis simpliciter est concessum atque constitutum, ut non solum civiles, sed criminales quoque causas audiant, ita ut, si sententiam in reos ferendam providerint, ad Proconsules eos transmittere non morentur *l. un. C. de Offic. Procons.* unde vicissim conjunctio cognitionis & animad-

animadversionis admodum liquidè infertur. Quòd autem notio in civilibus causis sit separata ab executione, nobis impedimento non est, argumento à separatis deducto, & quòd non per se, sed accessoriè mixto imperio contra contumaces sit opus; in Mero verò Imperio animadversio per se & simpliciter intendatur, *Vinn. tract. de Jurisd. Edit. Roterod. c. 1. n. 9.* ubi idem mentionem facit alicujus Anonymi scripti *de Jurisd. Et Imper. adversus omnes interpretes*, in quo tamen nihil se eximium reperire ait, aut inauditum dignumve titulo tam fastuoso, nisi quòd audacter affirmet, neque publici judicii executionem, neque rei capitalis cognitionem, neque animadversionem, sive sententiæ in facinorosos lata executionem Meri Imperii appellatione significari, sed tantùm simplicem animadvertendi potestatem. Autor ille Anonymus si Merum Imperium in actu, ut loquuntur, primo consideret, nihil verius exprimere potuit, & convenit assertio *l. 3. ff. de Jurisd.* Si verò in actu secundo, impegisse eum, nemo est qui non videt. Nam Imperium ab ejus exercitio distingvitur. *Magnif. Dn. Struv. Syntag. Jur. Civil. Ex. 4. t. b. 76.*

Thef. IV.

Expositis his, quæ ad Meri Imperii naturam atque essentiam spectant, paucis jam subjectum ejus erit contemplandum. Ubi ante omnia Quæstio ante aliquot jam secula vexatissima venit discutienda, quâ quæritur: Utrum Magistratus Imperium formaliter habeant, an verò iis solum exercitium sit concessum? Si Henrici Imperatoris Decreto adharere necessum sit, qui Lothario neganti, & solum exercitium Magistratibus tribuenti equum ex sponfione appositum propter æquum adjudicavit, lis est decisa. Sed si vulgatum illud: *Lotharius iniquum dixit, Et equum abstulit: Azo equum dixit Et equum perdidit*, consider-

sideremus, Azonis Imperium ipsum Magistratibus assignantis sententiam amplectimur, sequentibus moti argumentis. (1.) Legatus Proconsulis nec animadvertendi, nec coercendi, vel atrociter verberandi jus habet; sed si quid majorem requirat animadversionem, ad Proconsulem id remittere debet *l. 11. ff. d. Offic. Proconsul.* Ergo Proconsul habet jus graviter animadvertendi, quod jus cum Mero Imperio identificatur. Exercitio autem cum sit effectus Imperii, & non res eadem cum Imperio, ideo non tam intelligitur exercitio, quam jus ipsum, illa enim facti est, juris appellationem & denominationem omnino respiciens. Si verò cit. tex. Legatus Proconsulis nec animadvertendi nec atrociter verberandi exercitioem haberet, sequeretur quodammodo Imperium ipsum tributum non esse. (2.) Præses, quem Princeps eligere solet, majus Imperium in Provinciâ habere dicitur omnibus post Principem *l. 4. ff. de Offic. Præsid.* qui abdicando se non amittit Imperium *l. 20. ff. de Offic. Præsid.* Cum itaque non amittit, habere præsumitur; frustra enim quis dicitur non amittere, quod non habet, privatione semper habitum præsupponente. Quin imò etiamsi amitteret, nihilominus habuisset. Neque hic vicissim asserendum, Præsides non amittere exercitioem Imperii, non enim de hæc, sed de Imperio ipso sermo est. (3.) Imperium Merum est potestas animadvertendi in facinorosos *l. 3. ff. de Jurisd.* At hanc potestatem populus vel Princeps aliis tribuit. Ergo etiam Merum Imperium. Quæ ratio demonstrativa est, cum impossibile sit, esse alicubi potestatem animadvertendi in facinorosos, deesse tamen Merum Imperium.

Thef. V. Licet dictum sit, ipsum Merum Imperium ab eo, qui

summam potestatem habet, concedi, non tamen credendum, hoc ipso illud fieri patrimoniale; sed dependet ab arbitrio concedentis, qui illud quovis tempore repetere potest, & ita quasi precario jure habet; Discrepat tamen à precario, quòd in eo solus usus, non ipsum tamen jus transferatur; Nec injicit sufflamen *l. 1. ff. d. offic. ej. cui mand.* loquitur enim textus in materià jurisdictionis mandata, & asseritur non ita exercitium Imperii Meri, quemadmodum jurisdictionis mandari. Non negatur interim, Merum Imperium non competere Magistratibus. Sed utrum hoc modo concedatur privativè, quod sit, explicante *Bachov. ad Treutler. Vol. 1. Disp. 3. tb. 4. lit. F. in fin.* ubi utile jurisdictionis dominium transit: an cumulativè, ubi absque utili dominio nudè exercenda datur, altercantur Doctores. Verum neutrum fieri paulo post reddetur manifestum.

Thef. VI.

Imperium itaque Merum penes Magistratus esse, pluribus deducere nec lubet, nec ob institutum etiam licet. Ast ex hætenus dictis quidem constat, Magistratibus secularibus illud concessum; Nunc itaque, an similitudine Ecclesiasticis Imperium Majestas impertiat, circumspiciendum? Negat hoc *Zæsius Comment. ad lib. 2. ff. d. jurisd. n. 58. & seqq.* quod exinde conatur ostendere, quòd penes Ecclesiam non sit gladius, quia illa mundanis nunquam constringitur legibus: gladium non habet, nisi spiritualem: non occidit, sed vivificat *cap. inter 33. q. 2.* quo facere videtur, quod passim Ecclesiæ sit studium eripere eos, qui ducuntur ad mortem. Præterea eò facere, inquit, quod ea, quæ à plerisque, qui communem sequuntur opinionem, Merò Imperio attribuuntur, ut Clericorum Degradatio, Depositio, Suspendio, Excommunicatio

catio, Dispensatio, Clericorum Ordinatio, Visitatio, Ecclesiarum Erectio & alia, inter illa non numerentur, quæ ad gladii potestatem, aut jus, quod solum ponit Merum Imperium secundum *Ulpian. l. 3. ff. de jurisdict.* pertinent. Nec mirum esse instat, eorum, quæ sunt gladii, non fieri mentionem, cum Prælati moderata saltem flagellatio, quæ in vindictam sanguinis non transeat, sit permissa. Sed ubi vel graviolem, vel mortem, vel sanguinis poenam crimen meretur, jubeantur vindictam permittere Laicæ potestati *c. 4. ex. d. rapt.* jubetur itaque reos sanguinis defendere ecclesia, ne effusione sanguinis particeps fiat. *c. reos 23. q. 5.*

Thef. VII.

Contraria tamen opinio, tribuens etiam Ecclesiæ Merum Imperium, est probabilior. Ante verò, quam ejus veritas rationibus eruatur, tanquam certum aliquod præsupponendum, quemadmodum jurisdictio spectat ad causas civiles, ita & Merum Imperium esse de causis criminalibus, aded ut si pœna sit infligenda communis jurisdictioni & Mero Imperio, respiciatur ad causam, ob quam illa imponenda, & pro diversitate ejus vel ad jurisdictionem, vel ad Merum Imperium, referenda *Magnif. Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. 4. tb. 77.* Deinde & hoc supponendum, posse quendam Merum habere Imperium, non tamen potestatem pœnas quasvis irrogandi. *Magn. Dn. Struv. dict. Exerc. tb. 78.* Nam Præses provinciæ jus gladii habuit & in metallum dandi potestatem *l. 6. §. 8. ff. d. Offic. Præs.* deportandi autem in insulam jus Præsidibus provinciæ non est datum *l. 6. §. 1. ff. d. interd. & releg.* quia, quæ in Mero Imperio specialiter non tribuuntur, concessa non videntur *l. 1. princ. ff. de offic. ej. cui mand. est jurisd.* Quibus legitimè positis facile erit sententiæ nostræ

stræ veritatem manifestare. Et primò quidem apertè con-
stitutum, Regem Siciliae excessus raptorum Episcopis
commisisse puniendos *c. 4. ex. d. rapt.* Cum itaque nunc
pœnam delinquentibus infligere possint, quod uti di-
ctum Meri Imperii est, & Episcopis quoque competit
Merum Imperium. Neque infirmat hoc argumentum
responsio Zoësi asserentis, Prælatis Ecclesiasticis non nisi
moderatam flagellationem, quæ in vindictam sanguinis
non transeat, permissam, ubi verò graviolem vel mortis
vel sanguinis pœnam meretur crimen, jubeantur vindi-
ctam permittere Laicæ Potestati, quia hoc argumentum
probat saltem, Clericis non esse omnes Imperii Meri
gradus tribuendos, non verò iisdem illud omninò esse
denegandum. Qua ratione absq; labore Zoësi argumenta
enervantur. Imprimis negatur, penes Ecclesiam non esse
gladium, si per illum, ut decet, intelligamus potestatem
generalem animadvertendi in facinorosos. Si tamen in-
telligatur gladius, quatenus sanguinis pœna irrogatur, il-
le non competit quidem Clericis, sed falsò colligitur,
nec Imperium eis concessum. Alterum Zoësi argumen-
tum, quod pœnæ, quæ à Clericis ob commissum delictum
irrogantur, non referantur ad Merum Imperium, tam fa-
cilè non probatur, quàm quidem asseritur. Nam coër-
citionem, quæ fit ob delictum, sub Mero Imperio conti-
neri, ante satis fuit demonstratum, utut reliqui actus, qui
delictum non præsupponunt eò referendi non sint. Per
pœnas ad Merum Imperium spectantes intelligi gravem
cruciatum corporalem inferentes, eà, quæ asseritur, et-
iam facilitate rejicitur. Nec impedit hæc ratione abu-
sivè & improprie ac per quandam extensionem gladium
sumi. Frustra insuper urget, verba non esse abusivè &
improprie accipienda, quia & ipse hujus autor est, qui per

per gladium non tantum intelligit poenam mortis, sed alium gravem cruciatum corporis, cui revera similiter improprie gladius accommodatur, quare sibi licitum non sine injuria nobis vitio vertit.

Thef. VIII.

Privatus utrum sit, vel unquam fuerit aptum Meri Imperii subjectum, ut Cujacius propugnat, paucis itidem delibandum. Fundamentum Cujacio l. 1. § 1. ff. ad L. Corn. d. sicar. exhibet, ubi Martianus inquit, qui Magistratus Judexve quaestionis sub capitalem causam &c. & ita distinguit inter Magistratum & Judicem: Per Magistratum intelligit Praetorem, qui lege Cornelia quaerit, vel Proconsulem, apud quos & legimus l. 3. ff. d. accusat. reos deferri, Judicem vero quaestionis esse privatum, cui sorte obtigit ex lege quaestio publica, qui publico judicio praesit, tuetur Cujacius 15. obs. 39. & 21. obs. 30. Quem refutat Arumaus Dissput. ad LL. precip. 2. tb. 3. quod notum sit constetque omnibus quod par in parem Imperium non habeat l. 4. ff. d. recept. qui arbitr. Sicque nec privatus in privatum sit habiturus: vel si habeat, inevitabiliter sequatur, ut non privatus sit, sed Magistratus, & hoc de hoc ipso judice tradere Sigonius l. 3. c. 1. de jud. Admittit itaque principem publici judicii exercitium privato demandare posse, sicuti id satis evinci, demonstrarique dicit ex l. 1. ff. d. off. ej. cui mand. jurisd. ubi sufficere tradit concedentis voluntatem, quae si privatum designet, eidemque publici judicii exercitium demandet, valeat stetque ex voluntate concedentis mandatum l. 131. §. 1. ff. d. V. S. hocque factitatum esse temporibus iis, cum quaestiones de criminibus singulis a populo mandarentur, qui quaestores parricidii dicti l. 2. §. 23. ff. d. O. J. Utut autem hoc verum sit, is tamen, cui hoc modo publici judicii exercitium commis-

B

sum,

sum, non maneat privatus amplius, sed Magistratus fiat, per *l. 3. ff. d. off. praef.* ubi privatus ei opponitur, qui Imperium habet. Ad objectam à Cujacio Legem respondet, quod Prator in illà *κατ' ἐξουχίην* vocetur Magistratus, non oppositivè ad Judicem. Eundem refellit *Besold. in Delib. Jur. lib. 2. tb. 3.* & inquit sententiam Cujacii omnibus politicis rationibus repugnare, cùm gladii potestas publica sit, quæ statim ex privato publicum faciat Magistratum.

Thef. IX.

Utrique sententiæ sua debetur autoritas. Cujacii tamen est potior, quòd scilicet Merum Imperium privato concedi possit, *D. Strauch. diff. 20. tb. 7.* quamvis illud perperam *l. 1. §. 1. ff. ad L. Cornel. d. Sic.* probetur. Quippe ibi fit mentio judicis, judex verò ut talis, qui Merum Imperium habet, licèt opponatur Magistratui, qui formaliter per jurisdictionem in specie constituitur, nihilo tamen minus non statim desinet esse publica persona. Publica enim potestas, quale Imperium, potens est publicam quoq; personam efficere. Et sunt jurisdictio in specie & Merum Imperium species oppositæ, interim non excludunt prædicata communia, inter quæ etiam est publica potestas. Quare patet resolutionem Arumæi distinguentem inter Magistratus *κατ' ἐξουχίην*, qualis Prator, & inferiorem, qualis Judex, non esse satis congruam, in hoc enim ratio formalis Magistratus deficit. Rectius itaque defenditur Cujacii verior opinio *l. 1. ff. d. off. ej. cui mand. est jurisd.* ubi ad Merum Imperium sufficit solius concedentis voluntas, & ita, si illa privato designet imperium, rata est, uti etiam *Arumæus supra cit. loc.* rectè statuit. Quòd vero talis privatus recepto Imperio fiat persona publica, non probat Imperium privato non esse concessum, sed pri-

privatum per illud desinere talem. Sicuti in naturalibus, etiamsi forma constituat compositum, interim tamen rectè illa dicitur informare materiam. Quà ratione idcirco hæc opinio politicis rationibus repugnet, eò quod gladii potestas publica sit, & publicum efficiat Magistratum, hæctenus demonstratum non est.

Thef. X.

Cognitis iis, penes quos Imperium Merum est, illud qui largiuntur, sunt considerandi; Inter quos non immeritò primas Principi deferimus. à Principe enim (idem est iudicium de omnibus aliis, qui summam potestatem habent) omne Imperium profluit, & ut *Besoldus in delib. Jur. ad lib. 2. ff. d. Jurisd.* loquitur, pariter ut à mari flumina alia & à Majestate omnis alia proficiscitur jurisdictio. Utrum verò Merum Imperium privativè, an cumulativè, concessum intelligatur, non ita quidem expeditum, nec tamen cognitu adeò difficile. Ultimum fieri contendunt non pauci, quòd in locutione generali non comprehendatur persona loquentis, maximè in personà Principis, quæ dicitur exempta, ne sibi legem dicere videatur. Sed uti ex supra dictis jam tum colligere est, Imperium Merum cum dependeat à summâ potestate, in illâ non residet formaliter, sed solùm effective & virtualiter. Quare interit, tota ante mota controversia, quia etiam supra satis ostensum, Merum Imperium formaliter Magistratibus concedi, *conf. DN. Strauch. Exerc. 20. pb. 10.* Pars autem summæ potestatis in alterum hoc modo cum non transeat, sequitur oppidò, nec Principem, nisi effective, Merum Imperium habere.

Thef. XI.

Imperium transferri si de expressa Principis voluntate constat, nemo fortean prudens ambigit; Sed si

voluntas ejus expressa non sit v. g. Si alicui Castrum cum Jurisdictione concedat, an iidem translatum sit, in utramque partem probabiliter disputatur? Affirmantium fundamenta sunt, quia genus complectitur omnes suas species. *arg. l. 4. C. d. prescript. 30. vel 40. ann.* Et dispositio generalis tantum operatur quoad omnia, quantum specialis quoad speciatim numerata *arg. l. 51. ff. d. admin. tut.* Dissidentes vero regerunt, quod natura Meri Imperii exigat specialem concessionem *l. 1. ff. d. offic. ej. cui mand. est jurisd.* Plura alia, quae ab utraque parte afferri possunt, congestit *Facbin. Controv. Jur. lib. 13. c. 19.* Sed quia in hoc textus juris expressi deficiunt, placet rem totam componere verbis *Sutbolt. d. jurisd. tb. 414.* qui prudenter inquit: Attendenda hic potius sunt verba investiturae, conditio rei in feudum concessae, & aliae circumstantiae, ex quibus mens investientis probabiliter colligi possit. Sanè si extra causam feudalem alicui jurisdictio concedatur, non venire simul Merum Imperium, verissimum est *arg. l. 1. ff. d. offic. ej. cui mand. est jurisd. Magnif. Dn. Struv. Exer. 4. tb. 80.*

Thef. XII.

Quae de concessione à Principe facta in medium sunt prolata excipit quaestio: An Magistratus vel alius, quibus Imperium specialiter tributum, aliis saltim illud mandare possint? Dico *saltim mandare*, quia an omnino concedere valeant, cum hoc sit majestatis, frustra controvertitur: Quod jus civile attinet, negativa vera est *l. 1. ff. d. offic. ej. cui mand. est jurisd.* nisi is, cui hujus exercitio obtigit, necessario abesse cogatur. Quod & accommodant ad causam infirmitatis talem, quae impedit, quo minus Magistratus officio suo fungatur. Hoc rationem habere asserit *Vinnius d. tract. d. Jurisd. c. 3. n. 2. & parvi a-*
sti.

stimat, quæ in contrarium afferuntur, quòd talis infirmitas pro absentia sit habenda, neque rem semper moram pati, imò plerumque non pati, adeoque non magis negotium differendum, donec Præses convalescat, quàm in causâ profectiois, donec redeat. Enim verò, quæ Vinnius parvi æstimat, potius magni facienda esse, constat ex l. 2. §. 7. ff. d. vac. & excusat. mun. Cùm & aliàs certum sit: Exceptionem confirmare Regulam in casibus non exceptis. Quod ipsum Constitut. Caroli. art. 2. verb. Mit Wissen und Zulassen deselben Oberrichters confirmatur. Fundamenta Vinnii absque fundamento sunt. Si enim necessitas adsit, & res moram non patiat, constitui alius potest ab eo, cui constituendi potestas est. Dicitur est, in causâ absentia Merum Imperium posse alteri mandari: Utrum autem hoc generaliter obtineat, an solum in iudicio Legis Juliæ de vi, de eo iterum diversæ extant sententiæ? Generaliter textum cum plerisque intelligit Vinnius supra cit. loc. juxta quem si hoc restringendum esset ad iudicium legis Juliæ de vi, eadem ratione dicendum esset, nec legem ad alia crimina pertinere v. g. ad homicidium, cùm vis publica non minus severè vindicetur L. Juliâ, quam homicidium L. Corneliâ l. 5. §. 2. l. 10. §. fin. & l. seq. ad L. Jul. de vi publ. junct. l. 3. §. pen. ad l. Cornel. de Sicar. Sed menti Papiniani convenientius est, non aliter Merum Imperium propter absentiam mandari posse, quàm in L. Jul. de vi publ. Sequenti enim modo ratiocinatur Jurisconsultus: ideo errare videntur Magistratus, quî, cum publici iudicii habeant exercitationem, lege vel SCro delegatam, (veluti lege Juliâ de adult. & si quæ sunt aliæ similes) jurisdictionem suam mandant, quòd lege Juliâ de vi nominatim cavetur, ut is, cui obtrigerit exercitio, possit eam, si proficiscatur, mandare. Vel

ut clarius proponam : lege Juliã de vi est cautum , quòd propter absentiam possit Merum Imperium mandari. Ergò in reliquis non potest mandari. Ratio consequentiæ est , quod exceptio confirmet regulam in non exceptis. Rationi Vinnii oppono , quod contra rationem juris receptum est , non est producendum ad consequentias *l. 14. ff. d. legib.*

Theſ. XIII

Hæc de Jure Civili obtinent. Jus verò Canonicum utrum conveniat eidem , paucis quoque examinandum ? Negativam defendit *Zæsius Comment. ad ff. d. Jurisd. n. 58.* ex hæc ratione , quòd Merum Imperium non sit penes Ecclesiam , quod Ecclesia non habeat gladium nisi spiritualement , non occidat , sed vivificet *can. inter 33. q. 2.* sed illam refutandi rationem huic rei minus esse congruam , ex supra dictis liquet. Quare hæc negativa alio modo erit stabilienda. Quòd etiam commodè fieri posse autumo , quia sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari ; ita & sacrorum Statuta Canonum Principum Constitutionibus adjuvantur. *c. 1. ex. d. nov. oper. nunc.* Hoc itaque casu dum silent Canones , ideo legum Civilium opus est auxilio. Objicitur *c. 9. ex ne Cleric. sec. neg.* ubi Clerici prohibentur sanguinis vindictam exercere. Unde in Curiis Principum hæc sollicitudo non Clericis , sed Laicis committitur. Resp. *Vinnius d. Jurisd. c. 3. n. 4. cum Fachineo lib. 9. Controv. c. 99.* quis non videt , hoc esse speciale , cum ipsis Clericis causas hujusmodi agitare non liceat , quod & ibidem adjicitur. Sic Magistratus quoque secularis causas hujusmodi delegare potest , cum ipse eas propter absentiam aut morbum fonticum expedire nequit. Sed quod hic de morbo affertur , falsum est ; Quòd de absentia autem dicitur , admodum limi-

limitatè intelligendum esse, itidem jam tum traditum est. Quòd verò hic dicitur specialem esse casum, in quo mandari imperium possit, itidem firmum non est. Quia nemo mandat, qui ipse non habet. Clerici verò sanguinis vindictam non exercent, nec exercendi potestatem habent, Ergò nec mandare possunt *arg. l. 5 ff. d. Jurisd.* idem ad similes textus responderi potest. Deinde objicitur *cap. 4. ex. d. rapt.* ubi Rex Siciliae committit aliis excessus puniendos. Resp. *Vinnius d. l.* quod Rex, Siciliae non habeat Imperium ab alio ut Magistratus, sed à se, tanquam Princeps supremam in regno suo habens potestatem. Sed neque vi suæ potestatis supremæ, neque ab alio habet Imperium formaliter, sed solum effective, quo modo etiam illud aliis committit.

Thef. XIV.

Moribus quid in mandando Imperio obtineat, nunc inquirendum insequitur. De quo *Zæsius comm. ad ff. d. Jurisd. n. 55.* Moribus, inquit, ea, quæ sunt meri imperii, habentur pars ordinariæ jurisdictionis, ut mandari & possint & mandatà jurisdictione transeant. Sed nec hodie mandari Imperium rectius alii propugnant (1.) ea sola mandantur, quæ jure Magistratus competunt, ut à contrario sensu colligit *Papinianus l. 1. ff. d. offic. ej. cui mand. Jurisd.* Atqui Meram Imperium jure Magistratus, non competit. Ergò nec mandatur. Minor prob. quia nec principibus jure Magistratus competit, neque inferioribus Magistratibus. Ergò non competit. Antecedentis pars prior ab absurdo confirmatur. Hæc enim ratione, Principes Imperii essent Magistratus. Quod Jus Superioritatis die *Landesfürstliche hohe Obrigkeit* satis refutat. Et sanè, cum multis aliis omissis Imperator in Imperio sine statuum consensu neque leges condere possit,

Re-

*Recess. Imp. d. an. 1495. princ. ubi legitur mit zeitlichen Rath
euer der Churfürsten/Fürsten/und gemeiner Versam-
lung auf unserm und des Reichstages zu Wormbs
auffzurichten und zu halten fürgenommen und ge-
ordnet/2c. Unde etiam Imperii, non Imperatoris Reces-
sus dicuntur, Reichs-Abschiede/ gemeiner Reichs-Be-
schluß vel Recessus Imperatoris ac Imperii Unser und
des Reichs Ordnung/Constitutionen und Sazungen/
unser und gemeiner Stände Abschied R. J. d. anno 1564
§ 13. & de anno 1567. §. 50. Neque bella gerere Inst. Pac.
Casar. Suec. art. 8. §. 2. quod novissimè Imperator Leopoldus
p. 13. Cap. sua, jurato promisit. Wir sollen und wol-
len auch uns darzu in Zeit bemelter unserer Regierung
gegen den benachbarten und anstößenden Christli-
chen Gemüthern friedlich halten/kein Gezant/Vehde
noch Krieg in oder außerhalb des Reichs von dersel-
ben wegen / unter keinerley Vorwand / wie der auch
sey/ohne der Churfürsten/Fürsten und Ständen/oder
zum wenigsten der sämptlichen Churfürsten Vorwis-
sen/Rath und Einwilligung anfangen oder vorneh-
men/nach ohne ietztgedachten Consens einiges Kriegs-
volck ins Reich führen / oder führen lassen/aded, ut eti-
am in proverbium quasi abierit: quilibet Principum tan-
tum potest in suo territorio quoad subditos suos, quan-
tum Imperator in Imperio *Sutholt d. Jurisd. aph. 405.* Imò
& alii probabiliter statuunt, majestati Principum parum
deesse *Dn. Conring. ad Lampad. Nobiliss. DN. PRÆSES in
Disput. Inaug. de potest. leg. in principem.* Quare superest
sequi, multum distare Magistratus Romanos à nostris
Principibus atque Ducibus. Altera Antecedentis pars,
quòd nec Magistratibus inferioribus Merum Imperium
jure Magistratus competat, inde constat, quòd aliàs om-
nibus*

mnibus competeret; sed non competit omnibus, quia multi sunt, qui saltem jurisdictionem habent & mixtum Imperium, nur die Unter-Gerichte. Alii paucissimos actus Meri Imperii ex speciali privilegio gewisse und geringe Fälle vom Ober-Gerichte/ als die Capere (doch daß sie innerhalb gewisser Zeit dem Fürstl. Amtmann ne/ Voigte oder Schulzen die Veffierung thun müssen) quo casu non malè judicat *Bachovius ad Treutlerum Diss. 3.* quod potius præstetur ministerium. Secundum argumentum desumi potest. *ex Constit. Carol. art. 2.* Ubi expressè sancitum, Merum Imperium certis casibus auctoritate superioris alteri committendum, extra hos itaque casus alteri ne quidem conceditur. Denique expressis textibus est cautum, Imperium mandari non posse. *l. 1. ff. de offic. ej. cui mand. est jurisd. l. 6. ff. d. offic. Procons. l. nemo 70. ff. d. R. J. qui nullibi sunt correcti.* Ergò & adhuc subsistunt. *l. 27. C. de testam.* Et quamvis hodiè videantur Magistratus inferiores jus gladii Jure Magistratus habere, quod ipsà factà electione hanc potestatem nanciscantur, quæ transit ad Successores, hoc tamen nihil operatur, cum inspicienda non sit electio Magistratus, sed constitutio ipsius juris, quæ ab initio est specialis.

Thef. XV.

Non erit denique inutile considerare, utrum per præscriptionem Merum Imperium transferatur? Quod negandum conjicio, quia non est in patrimonio. *arg. l. 2. §. 3. ff. d. O. J. junct. l. 3. ff. ad L. Jul. Maj.* Deinde nemini competit, nisi cui specialiter concessum. *l. 1. ff. d. offic. ej. cui mand. jurisd. Sutholt. Dissert. de jurisd. apb. 410.* Nostris temporibus Merum Imperium per præscriptionem acquiri, ut ejus utilitas à personis (hoc est illis, quæ juris-

C

di-

ditionem habent, nec sunt privata) præscriptione
acquiratur, asserit *Obrecht. c. 4. n. 2. 23. & 26.* Verùm nec
hodiè hoc obtinere crediderim. Jus verò alteri con-
cedendi Merum Imperium objectum præscriptionis es-
se non reluctarer, cùm hodiè jurisdictio, sub quâ conti-
netur etiam alteri Merum Imperium constituendi pote-
stas, sit patrimonialis. *Hahn. ad VVesembec. de jurisd. n. 9.*
verb. præscriptione, quò quoque (non ad Merum Impe-
rium) referri potest responsum ab eodem *d. l. n. 8. in fine.*
allatum: *Endlich ist in Acht zu nehmen/ wofern ein
mehrer/ als bissher vermeldet worden/ von Alters
herbracht sich befunden/ daß es auch billich hinführo
dabey bleibe.*

Thef. XVI.

Cognitis causis Materiali & Efficiente, Formalem
perpenderemus opus esset. Sed cùm Imperium sit
ipsa ratio formalis, idè ejus natura ex supra expositâ
definitione erit liquida. Finalis itaq̃ue paucis propo-
menda restat, quæ in practicis cum Objecto formali co-
incidit. Finis itaque est inflicto pœnarum ob causas
criminales. Remotior verò vindicta delicti, ejusque
coërcitio. Sed solent quidam sex Meri Imperii gradus
constituere (1) est Imperium maximum, ut potestas con-
dendi leges (2) Majus, ut ultimum Supplicium (3) Ma-
gnum, deportatio (4) parvum, relegatio & pœnæ, qui-
bus corpus affligitur. (5) Minus, modica coërcitio. (6)
Minimum, multa. Verùm cùm primus gradus pars
summæ potestatis, non Meri Imperii sit, & reliqui ad
pauciores possint referri: idè huic expositioni calculum
non adjicio; sed primum removeo: Reliquos au-
tem quinque ad tres gradus generaliter refero ductu *Ca-
listrati*, qui pœnarum tria distincta genera constituit.

l. 28,

l. 28. pr. & §. 1. ff. de pœn. (I) gradus est pœnarum, quibus vita naturalis adimitur (II) earum, quæ morti naturali proximæ, quæ duplices (1) quibus gravior coercitio corpori infligitur morti affinis (2) quibus vita civilis adimitur: Ad hunc gradum referuntur pœnæ quibus membrum corporis mutilatur, ut si oculus eruitur, manus abscinduntur, damnatio in opus publicum & similes (III) gradus eas pœnas continet, quæ ad existimationis, non verò ad capitis vel status, periculum pertinent, qualis est fustigatio, quæ fiebat baculis ligneis à Tarquinio Superbio excogitatis teste *Eutropio lib. 11.* Flagellatio, quæ illà gravior *arg. L. 10. ff. de pœn.* His additur mulctatio, infamia, privatio dignitatis, *vid. latè Dn. Hahn. ad Vvesenb. de jurisd. n. 5. verb. sex gradus.*

Thef. XVII.

Nunc operæ foret pretium singulos Imperii gradus examinare, exemplisque illustrare. Sed quoniam propositi nostri ratio id admittere vix videatur, unam atque alteram adhuc quæstionem ad meliorem Meri Imperii notitiam facientem ante enucleabimus, quam finè huic nostro operi imponamus. Quæritur itaque hic non incongruè. Primo utrum multa spectet ad Merum Imperium? Et spectat, sed tum, si ea in causis criminalibus infligatur. Secundo an Carcer itidem ad gradus Meri Imperii pertineat? *Resp. Obrecht. de jurisd. c. 7. Thef. 25. & seqq.* Eum diverso respectu ad Imperium Merum & Imperium mixtum pertinere. Si enim propter causas criminales imponatur, ad prius. Si ob causas civiles ad posterius referri. Sed quamvis hæc Jure Canonico subsistant: Jure tamen Civili vix obtinebunt. Cùm enim ad Merum Imperium illæ saltim pœnæ pertineant, ratione quarum etiam Imperii gradus constituuntur & re-

cipiantur, spectabit omnino carcer eo modo, quo poena est. Sed non est jure civili poena. Ergo nec jure civili referendus ad Imperium. Minor sequentibus redditur manifesta, quia hujusmodi poenae interdictae sunt. Carcer enim ad continendos homines, non ad puniendos, haberi debet. *l. 8. §. 9. ff. d. poen.* & incredibile est, liberum hominem, ut vinculis perpetuis contineretur, esse damnatum. *l. 6. C. d. poen.* adeoque non tam poena est, quam saltem custodia. Quod itidem juxta *Constitutio Carol. Crim. obtinet art. 11. verb.* Und ist dabey sonderlich zu merken/ daß die Gefängniß zu Behaltung/ und nicht zu schwerer gefährlichen Peinigung der Gefangenen/ sollen gemacht und zugericht seyn. Dicitur quidem *sustinere carceris poenam. l. 2. C. de cust. reor.* Sed illa denominatio ei imponitur per accidens, quatenus tollit libertatem faciendi, quod velis, & vincula, quae in carceribus injiciuntur, poenae instar esse videntur. *l. 1. §. fin. d. de ar. l. 8. §. 9. ff. d. poen.* Sed uti dictum Jus Canonicum recessit à jure civili; Et quamvis ad reorum custodiam, non ad poenam, carcer specialiter deputatus esse noscatur, non improbatum tamen, si Subjecti Clerici confessi de criminibus, seu convicti in perpetuum vel ad tempus carceri mancipentur. *c. 3. d. poen. in 6.* quemadmodum hoc in furibus poenam non solventibus sequitur quoque *P. D. D. art. 257.* ibi: Wo aber der Dieb keine solche Geld-Buß vermag/ soll er mit den Kerker/ darinn er etliche Zeitslang liegen/ gestrafft werden. Moribus quid obtineat tradit *Gudelin. de Jur. nov. lib. 6. c. 16.* Ubi adducit mores hodiernos sequi Jus Canonicum. Et ita hodie ne quidem dubitandum, hanc poenam esse Meri Imperii, quoniam poena saltem perpetui carceris species est gravioris coercitionis. *Vinn. de jurid. c. 1. n. 6.*

Thef.



Thef. XVIII.

Ad hæc petitur utrum Indignatio Principis Fürstliche Ungnade ad gradus Meri Imperii sit referenda? Hic ante omnia sciendum, quosdam statuere verborum *sub pena indignationis* (bey Ungnaden/) nullum alium esse effectum, nihilque aliud importare, quam quòd Princeps se non exhibeat gratiosum. Alii verò Contemptores mandati Principum extraordinariâ pœnâ, quæ ad mortem extendi possit, puniendos tradunt. Verùm essentia atque natura hujus indignationis ex intentione Principis aliisque circumstantiis, quatenus res prohibita magni vel exigui est momenti, determinanda est. Si enim Princeps transgressori solùm velit denegare gratiam, alia pœna non inueniet locum. Sin verò præterea pœnam intendat irrogare, si prohibeatur aliquid sub indignatione & pœnâ bey Ungnade und Straffe/ posterior opinio vera est. In priori acceptione ad Merum Imperium non pertinere, ex supra dictis satis est liquidum. Posteriori modo vel pœna irroganda ab ipso Principe, vel Commissum hoc est specialiter alteri. Secundo, non primo, ad gradus Imperii est referenda, & quidem ad illum gradum, quem determinata pœna exigit.

Thef. XIX.

Confinatio recte referatur ad Merum Imperium, videndum? Solet verò definiri pœna, quæ reus præviâ sufficiente causæ cognitione à iudice competente condemnatur ad hoc, ne terminos loci assignati excedat. Verùm *Mar. Giurba conf. 49.* probabiliter asserit, solâ suspicione posse à Principe subditum ad confinia poni, quòd interhi Reipublicæ, non solùm delicta puniri. *l. 18. §. 1. ff. d. jud. l. 51. §. ult. ff. ad L. Aquil.* Sed etiam ut delinquendi removeatur occasio & quiete in Republicâ vio-

vatur, quod non sine ratione esse videtur, si alter suspi-
cionem declinare nequit: Cui obstat quidem, quod ex
solâ criminis suspitione reus nullatenus sit condemnan-
dus. *l. 5. pr. ff. de pœn.* Nam odia restringi & favores am-
pliari convenit *c. 15. x. de R. J. in 6.* & in pœnis benignior
est interpretatio facienda. *c. 49. x. de R. J. in 6.* Sed Resp.
favorem publicum privatæ utilitati præferendum. *2.*
feud. 52. c. 1. præsertim cum nonnulla pro utilitate com-
muni contra juris asperitatem ex æq̄uitatis mansuetudi-
ne tolerari noscantur. *c. 7. in fin. x. de re jud. in 6.* Jam
verò, ut civitas malis hominibus careat, principaliter
respicit utilitatem publicam, quia conservat statum &
quietem Reipublicæ, & in consequentiam continet et-
iam privatum commodum. Vel Resp. sententiam, quæ
non valet judiciali cognitione non adhibitâ, publicæ
utilitatis ratione validam esse, si partes ad rixas paratæ
sunt uti dicit. *Giurba refert ex Baldo vol. 1. cons. 142. n. 2.*
Hinc patet, (1) mancam esse definitionem. Imò in
confinatione neque manifestè probanda est causa, sed
testibus secretò receptis, tum maximè, si causa sine scan-
dalo & periculo expressim probari non possit. Inter-
dum quoque necessitate exigente causa poterit dissimu-
lari exprimendo aliam, quæ non infamet dicit. *Aut.*
cir. loc. Quin & tum potest constitui dicta pœna hoc
casu, dum crimen consummatum non est. *arg. l. 6. §. 9.*
ff. d. injust. rupt. irr. fact. test. Cùm non ad criminis
improbiteratem castigandam, sed ad potentiam quando-
que moderandam condemnari potest. *Petr. de Greg. d.*
Rep. lib. 13. c. 12. n. 10. Deinde dicitur in definitione à ju-
dice. Cùm autem soli Principi confinandi potestas tri-
buatur, Judici verò inferiori non competat, nisi Prin-
ceps concesserit. *Giurba d. cons. n. 3.* ideo & ex hoc capi-

te vitio laborare^r definitionem, tam notum est quam quod notissimum. Quamobrem si, quæ modò correctæ sunt, adimantur, reliqua naturam definitionis sufficienter explicabunt, & admodum perspicua evader. Ac proinde ex hæcenus dictis constabit liquidò, confinandi potestatem, à principe concessam, partem esse Meri Imperii, quoniam inter pœnas rectè refertur confinatio, eò quod noxæ vindicta sit: Noxæ autem vindicta pœna. l. 131. ff. de V. S.

Thef. XX.

Cùm sit dictum, Merum Imperium esse potestatem animadvertendi in facinorosos, non inconveniens erit disquirere, an etiam in Melancholicos vires suas exerat? Melancholia aliis est affectus, qui Principes functiones lædit sine feбри, & mœstiriam metumque sibi conjunctum habet; ubi autem sit cum audaciâ, est furor, mania. Galenus solam imaginationem lædi arbitratur. Contrarium verò statuit Avicenna, dicens, quòd Melancholia sit mutatio existimationum (imaginationis, phantasiæ) & cogitationum (rationis.) Alii Melancholiam vocant privationem intellectus, sicuti hæc pluribus refert. *Hahn. ad Wesenbec. d. pœn. n. 10.* Secundùm quem tamen rectiùs experienciâ suppeditante tres gradus Melancholiæ constituuntur. (1) Quidam solummodò tristes, morosi ac retrici sunt, hominumque societatem averfantur. (2) Alii præter mœrorem contractum sibi etiam horrenda imaginantur, pericula metuunt & vagabundi de uno loco in alium fugiunt. (3) Alii præter hæc etiam deliria loquuntur & agunt, absque tamen furore. Quam posteriorem idem Melancholiam primariam vocat. Cùm verò hujus affectus natura sit functiones lædere, antequam definire valeamus, an ad Merum
Im.

Imperium pertineat, ulterius juxta laud. *Hahn. d. l.* notandum, læsionem functionum triplici contingere modo. Vel enim imminuuntur, vel tolluntur, vel depravantur. In Melancholiâ autem propriè haud minuuntur. Functiones siquidem imminutæ sunt, quæ quidem in cursu & ordine naturæ videntur manere, sed debili & insufficienti modo exercentur. Talis imminutio est in stupidis & stolidis. Neque in Melancholicis tolluntur, quia his varia & copiosa phantasmata objiciuntur, circa quæ sensus interni assiduè operantur, etiamsi alio, quam fieri debebat, modo. Restat itaque quod functiones duntaxat depraventur, quia actiones non juxta naturæ seriem & leges; sed perturbato ac perverso ordine eduntur, vel nimis intensa & vehementes sunt. Ex his itaque facile patet, quâ ratione Melancholici ad objectum Meri Imperii pertineant. Qui enim primi gradus sunt, eorum imaginatio læditur, quia quod apprehendunt, revera non ita est; ratio verò non item, quoniam ipsi judicant, mœstitiâ esse phantasticam, potestque in illis esse proæresis, malitia, dólus. Adeoque poenâ ordinaria, si delinquant, haud immeritò affiendi. In secundo autem gradu magis corrupta est imaginatio & ratiocinatio turbata, dum de phantasmatibus sibi objectis non valeant amplius judicare, utrum vera an falsa sint, sed dubitare incipiunt & de omnibus etiam amicis falsò suspicentur, nec sana consilia sequantur. Et quoniam animos horum mœstitiâ non parùm perturbat, minimè autem totam mentis alienationem inducit nevé intellectu eos planè privat, & sic consequenter delinqunt, ideò & eos poenâ saltim extraordinariâ plectendos atque ad Merum Imperium referendos arbitror, *conf. Carpzov. Prax. Crim. part. 3. q. 145. n. 53. & seqq.* In tertio gradu constituti ima-
gina-

ginationem & ratiocinationem maximè depravatam habent; Errat enim intellectus eorum circa apprehensionem, compositionem & discursum. Et hi minimè sunt puniendi, nec ad Merum Imperium referendi, *Habr. sup. cit. loc.* ubi elegantissimum refert Responsum, cujus hæc sunt verba: Wir haben die Uns aber einst nebst seiner Zeugen Rundschaft und Med. Facult. Judicio alles sub n. 1. 2. 3. bis 9. einschließlich gezeichnet zugesandte und hinvieder bekommende Acta, den gefangenen U. E. und den an seiner Frauen begangenen Niederschlag betreffend/ nochmats bey versammelten Collegio mit gehörigen Fleiße verlesen und wohl erwogen. Erkennen und sprechen darauff für Recht/ diemvil der gefangene U. E. Zeit des an seiner Frauen begangenen Niederschlags nicht bey Verstande / sondern in delirio Melancholico begriffen gewesen / daß er verhalben mit keiner Straffe zu belegen / sondern der Haffte ohne Leistung geschwornen Urfed/hinvieder zu erlassen sey. Damit er aber ihm selbst / oder auch andern Leuten ferner keinen Schaden zufügen möge / ist er von seinen nechsten Freunden / mit Zuthun der Obrigkeit/in seinem Hause/und auf seine Kosten in Custodi zu nehmen / und darinnen mit Ketten und Banden fleißig zu verwahren. V. R. W.

Thef. XXI.

Uterius quæritur: Utrum Meri Imperii sit, reum rupto laqueo delapsum adhuc punire? Quod affirmandum censetur, quia Imperium id intendit, ut reus legitimè puniatur, quod factum non creditur, tum quia obligatio ex delicto sine constitutâ pœnâ non tollitur, tum quòd executio ita facienda sit, daß der Dieb mit dem Strang vom Leben zum Tode gebracht werde. Negat *Bachovius ad Wesenbec. ff. d. pœn. n. 9.* (1) ob præsumptionem, quòd injustè sit suspensus (2) quòd pœna furci sit

D

ni-

nimis atrox. Verùm prior ratio ideo est infirma, quòd hic præsupponatur furtum verè perpetratum. Posterior autem contra furti pœnam instituitur, quam tamen justam defendemus. Alii tutissimum esse credunt, executionem tali casu suspendere ac principis consilium implorare.

Thef. XXII.

Merum Imperium an in actum transferatur contra eum, quo præsentè sanguis ex vulnere occisi erumpit, & fluere incipit, paucis hic examinare haud à re alienum putavi? Ex occiso corpore sanguinem promanare in præsentia homicidæ, exempla plurima testati ex Bocero refert *Besold. Delib. Jur. ad Lib. 48. ff. n. 36.* & rationem hujus rei Antipathiam esse asserere *Levin. Lemnium de occult. nat. mirac. lib. 2. c. 7.* aliosve refert idem. Quando autem hoc eveniat, non convenit inter eruditos. Contingere illud ipsum post aliquot horarum spatia, sanguine forassis nondum concreto opinantur alii. Alii verò evenisse idem post aliquot dies memorant, adeò quidem ut, puerum à matre interfectum octo diebus post matre eam inspiciente sanguinem ex naribus emississe, tradatur. Hinc de eventu non dubitandum. Causam autem varii variam statuunt. Plerique allegant Antipathiam & vestigia hostilis ac vehementis odii occisi in occisorem, quòd causet qualitas latens & arcana, impressa corpori tempore cædis, cum cadavere permanens, quæ faciat moveri & resolvi sanguinem ac fluere ex vulnere per præsentiam occisoris. Quæ tamen causa multis ficta videtur. Quamobrem alii rem totam in miraculo ponunt & in quâdam vindictæ divinæ repositæ ratione, quasi Deus ipse detegendæ noxæ ergò id præter ordinem naturæ, sanguine jam dudum con-

ere.

creto, constituerit. Verum enim verò prior ratio quæ
admodum suspecta: ita & posterior videtur insufficientis.
Priorem non subsistere inde patet, quòd sanguis fluere
experit per Sympathiam etiam præsentè dilectissimo, ut
in submersis evenire traditur à *Pet. Gregor. Synag. lib. 50.*
s. 20. n. 8. Proinde cum ex diversis principiis fluxus san-
guinis proveniat, nulla inde delimitur certa conjectura,
& sic, cum in dubiis satius sit incertam dimittere, quàm
innocentem damnare, huic fundamento neutiquam in-
sistendum. Posterior autem ideò non satisfacit, quòd
de miraculo non constet. Et cum sanguis etiam fluat
per Sympathiam, nihil certi huic miraculo adscribi pot-
est. Denique exempla non desunt pro & contra, ubi
scilicet præsentè vero occisore sanguis minimè motus
fuit. Quin imò ebullit quandoque sanguis coram eo,
qui homicidii prorsus non fuit reus. Ergò non est in-
dicium certum, uti *Besoldus* concludit *d. l.* Quà nos mo-
ti ratione itidem concludimus, hoc casu Merum Imper-
rium quiescere.

Thef. XXIII.

Similis fermè priori est quæstio de probà aquæ fri-
gidæ, an ea possit efficere ut Merum Imperium transfe-
ratur in actum? Hic sciendum est, multis in locis cer-
tissimum veneficii indicium esse, si mulier artis magicæ
suspecta certo modo ligata & constricta in flumen con-
jiciatur neque tamen mergatur, sed anseris more super-
natet. Et testatur *Besold. delib. Jur. ad lib. 48. ff. n. 37.*
Scribonium Marpurgensem Medicinæ Doctorum Con-
sultum à Magistratu Lemgovienfi aliquot argumentis
hoc ipsum defendere. Imò & experientia docet in
aliquibus Germaniæ partibus & locis sufficiens habitum
indicium ad torturam. Rectius tamen à plerisque pru-

dentioribus improbatum tanquam insufficientis. Sanè si dicendum quod res est, multum equidem habet superstitionis, certitudinis verò nihil. Non enim naturalem hæcenus ejus rationem reddere ullus potuit. Atque ad latentem quandam Dæmonis vim confugere, quæ sua levitate corpora mulierum suspectarum in aquâ, ne submergantur, sustineat, fabulosa conjectura est. Cui æquipollet ratio ab Antipathiâ desumpta, quasi Deus aquis quandam dederit naturam, quæ ejusmodi hominibus omninò contrarietur, adeoque, quemadmodum Deus creavit aquam in instrumentum salutis humanæ, eandem etiam ei destinârit & quasi odium indiderit adversus illas, quæ salutis spem oderunt, ita ut nequeant eas admittere, sed omninò respuant. Nam & hanc rationem Vir doctus & sapiens vix ac ne vix quidem admittit, imò hanc popularem inventionem invidiæ & superstitionis plenam judicabit. Quare non malè argumentatur contra hanc probam. *laudat. Besold. d. l.* Aut causa supernatationis est physica, aut metaphysica. Si physica est, puta vel latitudo dorsi, vel frequentior uberiorque respiratio, quâ corpus hominis in aqua allevatur, sequitur, quod magiæ non sit indicium. Cùm enim naturalis causa sit, potest hoc accidere cuilibet homini; Sed magiæ causa non est naturalis, sed potius ipse Diabolus. Si verò Metaphysica causa est, tunc illa proficiscitur vel à Deo, vel à Diabolo; In Deo ponenda non est prohibente Scripturâ Sacrà à Deo signa postulare. *Matth. 16.* Neque Diabolo causa ascribenda est, aliàs indicium verisimile esse nequit. Nam nihil oberit, quo minùs, permittente Deo, etiam pium hominem Diabolus in aquâ vehere possit, ut illi periculum erret. Plura possunt videri apud citatos à *Besoldo d. l.*
No-

Nobis sufficit ostensum esse, quod hæc proba aquæ frigida ad objectum Meri Imperii nullâ pertineat ratione.
Thes. XXIV.

Extenditur præterea Imperium ad delinquentium quoque cadavera. Quamvis enim aliàs delictum solvatur morte delinquentis. *DD. communiter in L. 1. C. ex delict. def. §. 1. l. d. perp. & temp. act.* excipitur tamen Reperundarum & Majestatis judicium, quæ etiam mortuis reis, cum quibus nihil actum est, adhuc exerceri placuit. *L. 20. ff. d. accusat. Sebast. Med. tract. mors omnia solvit Conclus. 32. n. 82.* Etsi enim homo mortuus non sit homo, sed dicatur cadaver, cum deficiat anima, quæ ei dat esse. *s. Moyses 32. q. 2.* & consequenter corpus nihil sentiat, satis tamen est, id quod mortuis accidit, à vivis metui, ut hoc pacto à delinquendo retrahantur, *conf. Grotius de J. B. & P. 2. c. 19.* Eorum quoque cadavera, qui ultimo supplicio affecti, non sepeliuntur, nisi petitum vel permissum fuerit. *L. 1. ff. d. cadav. pun.* licet enim aliàs cadavera sepeliri debeant. *s. quæsitum 13. q. 2.* tum honestatis causâ, tum ob memoriam humanæ conditionis. *l. 27. ff. d. cond. & demonstr.* tum ob symbolum resurrectionis, hocque jure divino sit constitutum. *Deut. 21. & 34.* Nihilominus quia pœnæ duplex est finis (1) emendatio delinquentis (2) exemplum & memoria punitionis, confirmante Platone in *Georg. l. 34.* ubi ait: Convenit omnem, qui ab aliquo rectè punitur, vel ipsum fieri meliorem utilitatemque percipere, vel cæteris exempla dare, ut illi pœnis affecti meliores efficiantur, idè cognatis punitorum cadavera denegantur, divinâ lege utpote positivâ non reluctante sed consentiente. *1. Reg. 15. Prov. 30. v. 17. Jerem. 16. v. 4.*

Thes. XXV.

Concessionem corporum ad anatomiam etiam ad

D 3

Mé.

Merum Imperium referendam putant. Sed vix fieri posse, ut anatomia non tendat in contumeliam propinquorum, adeoque & rationem habendam esse conditionis & dignitatis puniti ejusque familiae, statuit *Hahn. ad Vvesenb. d. cad. pun.* Cui contradicentes, rectè hanc concessionem fieri, existimant, quòd cum injurià agnatorum conjunctum videri non possit, quòd Republicæ causâ sit *L. 22. ff. d. injur.* eò quòd multum semper artibus licuerit. Et Medici, ut vim morbi in aegroto cognoscerent, viscera hominum resciderunt, inquit *Seneca l. 10. declam. 6.* Quod ulterius probatur, cum cadavera punitorum cuiusvis petenti ad sepulturam concedi soleant. *l. ult. ff. d. ead. pun.* Nulla apparet causa, quare Medicis ea sint deneganda, utpote quorum beneficio sepultura iis contingit, quod hi *Leysava* hominis non sine funerali processu justæ sepulturæ tradere & condere solent. *VVissenb. de juris d. 2b. 9.* Quam sententiam insigni etiam exemplo confirmat *Clarus recept. sent. lib. 5. q. 100. §. fin.* Enimverò quid hic tum benè, tum malè dicatur, multis examinare superse-
deo, haud dissimulans, hæcenus allata nihil probare ulterius, quàm concessionem ad anatomiam non esse usq; adeò & simpliciter improbandam. Quod tamen hic non est quæstionis. Sed posito, quod licita sit, utrum Meri Imperii sit? id quod negandum arbitror. Magistratui enim inferiori, licet Merum habeat Imperium, non competit potestas concedendi cadavera ad anatomiam, quia Merum Imperium consistit in potestate animadvertendi in facinorosos, quæ non extenditur ulterius, quàm ut legitimè reus puniatur. Quare cognatos puniti ejusmodi Magistratui contradicentes justè agere arbitrat *Hahn. d. l.* Proinde fit, quod concessio talis ad anatomiam ab iis, qui summam potestatem vel jura superioritatis habent, consueverit impetrari, Thef.

Thef. XXVI.

Multæ equidem hic quæstiones discutiendæ adhuc sese nobis offerrent, nisi institutum nostrum juberet jam finem respicere. Quare ultimo loco reliquum est, ut cognoscamus, quomodo respectu Brutorum exerceri debeat imperium? Hoc ipsum fieri non principaliter & directò, sed quatenus delictum hominis conjunctum, ob abolendam rei memoriam *c. mulier 15. q. 1.* & materialiter ratione ipsius facti, non formaliter, quoniam in bestias nec delictum propriè cadit, aliis est manifestum. Cùm verò bestia punitur, ubi delictum deficit, v. g. ubi lex divina *Exod. 21.* leonem, qui occidit hominem, lapidibus jubet obrui, hoc fieri dicitur, ne oculos hominum offendat. conspectus illius bestia, non verò ut sit pœna. *Vinnius d. Jurisd. c. 1. n. 7.* Si deniq; in pœnam hominis cum parricidis culeo insuantur, non esse hoc respectu bestiarum verè pœnam, sed usum tantùm domini humani in bestias rectè inter alios referunt *Grotius d. J. B. P. lib. 2. c. 21. §. 11.* & eleganter *Magnif. D. Roth in elegantissimâ disputatione, quam pro loco habuit, de Occisore impuni cap. 1. n. 2. & 3.* Postremò quod affertur, optimo jure subsistere, equidem nemo abnuic. Priora verò aliis non arrident, eò quòd bruta non secus, ac homines, propriè puniri arbitrantur, idque ex eo se probare satis posse confidunt, modò brutorum delicta ac obligationem, quâ ad servandam legem obstringuntur, accuratiùs paulò demonstrarint. Primum deducunt ex *L. 1. §. 11. ff. si quadrup. paup. fec. dic.* Deinde quòd Deus vindictam de occiso homine bestiis minetur *Genes. 9. v. 5.* ubi autem vindicta, ibi legis violatio & actus pravus atque injustus, ratiocinantur *conf. Magnif. Dn. Schilter. manud. ad Philosoph. moral. c. 6. n. 11.* Nec quicquam movet eos, quod objici solet, actus brutorum esse simpliciter necessarios. Hoc enim verum esse

esse largiuntur ratione liberi arbitrii, cæteroquin & actus brutorum gaudere spontaneo quodammodo, quod necessitatem mitigat, atque temperat. Alterum verò, quod obligationem brutorum attinet, haud difficulter ex jam dictis inferunt. Estque juxta mentem eorum obligatio, sive necessitas agendi ad voluntatem alterius, vel Legislatoris vel paciscentis. Et porrò modus agendi duplex, liber & indifferens ac solum moraliter necessarius, alter naturaliter necessarius, ut præter angelorum etiam brutorum. Quæ singula latius proponere non arridet, sed potius unà cū illis, quæ aliàs hic desiderari forsitan possunt, publico conflictui committentes, filum abruptimus.

Qui studiis cupit ingenuis præstare, furentem non curat plebem, quæ bona cuncta premit.
Sed tu securus rides, nec inania captas,
quo semper constans inde sequatur honor.

felicia quævis precaturus hæc addebat

Henr. Balth. Roth, D. P. P.

UT sacram Themidos Te doctum vidit ad aram
æqui, ter visus plaudere Sala pater;
Hinc, ait, ad plenum stillabant divite cornu
præmia, quæ capiti jungere rite paro.

I Cathedram conscende, & doctam consere pugnam,
ad metam hæc strata est unica laude via.

*Politissimo DN. Respondenti, benevolo animo & manu
gratulor & ad ulteriora calcar addo*

Georg. Wolffg. Wedelius, D.

Hic modus est, quò quis culmen conscendit honoris,
Quò quis Musarum præmia larga capit.

Laudo conatûs, eadem qui tendis & ipse,

Qui, DORFFLERE, astris haut procul esse cupis.

*Ita Nobiliss. DN. Autori, Fautori suo singulari affectu
prosequendo, grat. appon.*

J. B. SEESE, D.
L'eclat

L' eclat de Vostre Esprit par sa brillante flamme
Nous fait voir en effet la vigoureuse ardeur,
Qui pousse incessamment la vertu à l'honneur
Dont se font bien saisis les desirs de vostre ame.

Sans jamais allentir l'excès de l'allegresse
Avancés promptement! par un heureux succès
De Vostre beau destin, jusqu'au plus haut degrés,
Où Vous attend un prix digne de la sagesse.

Je ne devine mal d'un infallible augure,
Du fruit de Vos travaux, que Vous nous proposés,
Je dy, sans Vous flatter, que ces Vos qualités
Vous vont bien-tôt au port de Vos souhaits conduire.
C'est ainsi qu'a voulu expliquer à Mons. DORFFLER, son tres-cher amy & Compagnon de table les reflexions, qu'il a faites sur le present effet de sa tres-exquise science
**The del de Kramm, Gentilh.
de Brunsvig.**

O Σηε πωνημέρος τε και ήώθη γ' επόνησεν
Ιδθ εν ανωτάτω, και ε' χερα Σείριθη ησ
τω καλαι πολλαί τε περιγλωχες ρα γεννεται,
Ας Μάσαι τέκνοισι διδασιν χάριμα και άθλον.
Συγχαιρων άποχεδιαζόμενθ
Joh. Frid. Scheibe, LL. Stud.

W Er hitzig steigt nach den blan gesterntn Bogen
Wie Er mein werther Freund, mit unermüden Fleiß
Wer so viel Weisheit hat aus Castalis geflogen/
Als sein beredter Mund hier vorzubringen weiß/
Der kriegt zum Lohn die Kron der hochgetrohten Ehre/
Er renne hurtig fort bis Er gelangt zum Ziel/
Die höchste Weisheit Ihn mit mehrer Weisheit mehre!
Diß wünscht von Herzen Ihn mein schwacher Feder. Kiel.
Seinem besonders geliebtesten Herrn Wit-Eisch,
Burschen setze dieses hinzu
**Heinrich Julius von Kniestet/
Eques Brunsvic.
E Wann**

Wann jene sind berühmt die Gold aus Peru bringen/
 Dis mit den dünnen Holz durch stolze Wellen dringen/
 Aus China güldnen Reich sich samten einen Schatz:
 So hat der Ruhm und Lob vielmehr bey denen Platz.
 Die Schatz und Krohnen sich durch Wissenschaft errennen/
 Der Sinnen Pegasus kan Wolcken selbst zertrennen/
 Und an den Himmel rühren dahin kein Kaufmann (schiff)
 Der seine Schätze nur auf dieser Erd' antrifft.
 So weit Verstand und Witz dem Gold ist vorzusetzen/
 So höher ist Er auch Herr Dörffler stets zu schätzen/
 Weil Er dem edlen Schatz der Wissenschaft nachgräbt/
 In seinen ganzen Thun nach Kunst und Tugend strebt/
 Er fahre ferner fort im löblichen Beginnen/
 Sein Sinnen schwinde sich auf Pindus hohe Zinnen!
 Damit Er bald hernach der Ehren Krohnen trag!
 Und von so grossen Fleiß die spate Nachwelt sag!
 Wegen allemahl Treu-gepfogener Freundschaft ruffte seinem
 Hochgeehrten Herrn Tisch-Burschen glückwün-
 schend in

Jobst Carl von Schwicheldt/
 Eques Hildes.

Jam mea Musa canas, præconia digna parato,
 Fautori dicas prospera vota Tuo.

*DN. Commensali & fratri suo præ aliis
 semper Dilecto paucula hæc adjecit*

Christianus Reich/ LL. Stud.

Sunt DÖRFFLERE Tibi cum Doctis prælia docta,
 Ecquis Te doctis annumerare vetet!


Hæc DN. Commensali suo grat. adpon.

Joh. Ernest. Richter/ Med. Stud.

Ausibus applaudo tantis, Numenque Triunum
 Præmia det quæso digna labore Tuo!

*DN. Commensali suo Charissimo ex animo
 ita gratulatur*

Franz Christoph de Kramm,
 Eques Brunsvic.



94 A 7371

ULB Halle 3
001 700 707




56


94 A 7371

94 A 7371





or met
for re:
, ita u
Med
hen n
elt f
Ord. I
Tr. V
ri term
at pari
Tit. 2
utio in
oonist
e, qui
& alit
73. π
integ
oro, fac
T
tilliqu
cio ref
ne cap
So
&



B.I.G.

Farbkarte #13

19

N.I.X.

Q. D. B. V.
DISSERTATIO JURIDICA,
De
MERO IMPERIO,

Quam
AUXILIANTE NUMINE DIVINO
Consensu
Illustriſ Jctorum Ordinis

in
Celeberrimâ Salanâ
P R Æ S I D E
DN. JOHANNÉ BERNHARDO

B E R G E N /
Phil. & J. U. D. ac Illuſtris Regiminis
Saxo-Jeneniſis Advocato Ordinario,

Patrono, Præceptore ac Hoſpiti ſuo
omnem vitam colendo,
publico Eruditorum Exami
ſubmittit

J O H A N N E S Dörffler /
Jesniz. Anhalt.
AUTOR ET RESPONDENS,
ad diem Maji,
ANNO M. DC. LXXIX.

J E N Æ, Literis WERTHERIANIS.

